

LXXVI.

Anno 1289. Tertio Idus Junii.

Ladislaus IV. Rex Joanni et Leonardo Comitibus de Vinodol, Modruš et Veglia possessiones nec non jus patronatus Ecclesiae Corbaviensis et Senyensis confirmat.

Ladislaus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, vniuersis Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium saluatore. Dignum est et consentaneum rationi, vt ea, que per inclitos reges, progenitores nostros, sibi fideliter obsequentibus, iuste et legitime sunt collata, perpetuo robore fulciantur et inuiolabiliter obseruantur. Proinde ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire. Quod nobiles viri Johannes, Leonardus et eorundem filii, filii comitis Vyd de Wynodol, Modrussia et Vegla, missis ad nos procuratoribus suis, a nostra regia pecierunt humiliter supplicando maiestate, quod nos possessiones eorum, villas, predia, castella, insulas, nemora, terras, silvas, iura patronatus ecclesiarum de Corbouia et de Scenya, que et quas ex collacione illustrium Regum Hungarie, progenitorum nostrorum, piarum recordacionum, iuste et legitime possederunt, eis relinquere dignaremur, et nostro priuilegio confirmare. Quorum nos iustis petitionibus fauorabiliter inclinati, attendentesque fidelitatis et seruiticium merita graciosi eorundem Johannis, Leonardi, predictorum comitum, que karissimis progenitoribus nostris illustribus Regibus Hungarie et Stephano Regi patri nostro reuererendo cum fauore summe fidelitatis impenderunt, prout nobis per relaciones fidelium nostrorum est relatum, considerantes et obsequia eorundem gratuita, que in recepcione nunciorum nostrorum ad curiam Romanam et ad inclitum Karulum Regem Sycilie et filios suos cognatos nostros perdilectos destinatorum, hospitalitatis gratiam impendendo, non sine magnis eorum sumptibus impenderunt, vt fideliter, sic deuote, vniuersas possessiones eorum, predia, villas, castella, terras, insulas, nemora, siluas, iura patronatus ecclesiarum de Corbouia et de Scenya, que et quas iusto titulo collacionis predictorum Regum pacifice possederunt, super quibus litteras, priuilegia seu munimina predictorum Regum et Regis Stephani patris nostri karissimi, legitime optenta, habent uel habere dicuntur, et voluerint presentare loco et tempore opportunis, eisdem Johanni, Leonardo et filijs eorum comitibus, et per eos ipsorum heredibus heredumque suorum successoribus, relinquimus pacifice possidendas, tenendas et habendas, et presencium auctoritate duximus confirmandas, dupplicis sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus venerabilis patris Gregorii dei gracia episcopi chenadiensis, aule nostre cancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini mille-